

*ex gratia.* Ac proinde in universum electionem non intuitu meritorum operum legis, sed ex mera gratia & misericordia divina secundum prævisionem fidei in Jesum Christum factam esse, inde est concludendum.

XXXIII. Possent hæc doctrina pluribus, præsertim primorum cognoscendi principiorum, in quæ cæterorum principiorum veritas deductione ad impossibile resolvitur, demonstratione, quam libr. IV. Metaph. Aristoteles suscepit, illustrari; quæ tamen demonstrandi ratio non tam est κατὰ τὸ ἀδύνατον ἄγων, quàm κατ' ἀνθρώπου sive πρὸς τὸν θεόν. Vid. Ernest. Sonerus Comment. in IV. Metaph. III. & IV. p. 244. Add. Svarez. Disp. Metaph. III. Sect. III. num. VI. sqq. Sed cum ea res peculiarem requirat considerationem, eandem hæc vice seponere cogimur, præsertim cum ea, quæ attulimus, indolem Syllogismi τὸ ἀδύνατον concludentis sufficienter possint adumbrare, imò ex iis constare, διὰ τὸ ἀδύνατον συλλογίζεσθαι esse τὸ δεῖξαι τι ἀδύνατον διὰ τῆς ἐξ ἀρχῆς ὑποθέσεως, *ratiōnari & concludere per hypothesin ab initio sumptam vel concessam.* I. Prior. XXIII. §. II.

XXXIV. Gemina autem est hypothesis, quæ Syllogismus διὰ τὸ ἀδύνατον nititur, & propter quam ad Syllogismos ἐξ ὑποθέσεως refertur. Præterquam enim quòd supponat, impossibile esse, duas enunciationes contradictorias simul esse veras, aut etiam simul falsas, I. Prior. XLVI. §. 6. I. Poster. XI. §. 2. aut etiam duas contrarias simul esse veras, etiam hæc nituntur hypothesi, quòd quamvis ex falsis verum datum sit concludere, II. Prior. II. III. IV. non tamen vice versâ falsum ex veris præmissis formali consequentiâ concludi queat; sed consequente existente falsò, si non omnia antecedentia, saltem aliquod eorum falsum esse oporteat.

XXXV. Constat verò Syllogismus διὰ τῆς ἀδύνατης duabus quasi partibus. Etenim I. concludit aliquid δεικτικῶς. Non autem ipsum τὸ ἐξ ἀρχῆς seu quæstionem principalem Syllogismò δεικτικῶ sive ostensivò infert, sed potius falsum ali-